

## 5.

Wien, ÖNB, Cod. 1062, f. 110r–v  
Hunc librum possedit Benedictus episcopus Varadiensis, s. XIII. ex.<sup>1</sup>

[Sermo primus de sancto Ladislao rege]

(1) (f. 110r) „**Beata terra, cuius rex nobilis est**”. – Verba proposita scripta sunt in *Eccl.* X. cap. (17), in quibus tria tanguntur principaliter, videlicet

boni regis commendabilitas, in hoc, quod dicitur: „**Rex nobilis**”,  
subditorum condicio sive qualitas, quod<sup>2</sup> innuitur nomine „**terre**”,  
et recti regiminis utilitas per hoc, quod dicit: „**terra beata**”.

(1.1) Tangitur – dico – regis commendabilitas in hoc, quod dicitur: „**Nobilis**”. Talis autem fuit beatus rex Ladizlaus, in quo concurrebant omnes nobilitatis proprietates, que quidem quatuor sunt:

(1.1.1) Prima est, quod sit magnanimus ad aggrediendum ardua, sicut fuit David, qui Golyam interfecit, et ursum ac leonem superavit. Talis autem fuit beatus Ladizlaus, qui fuit miles probissimus et audacissimus. Unde potest designari per Judam Machabeum, de quo dicitur in libro (I) *Mach.* (3, 1–4): „Surrexit Iudas, qui vocabatur Machabeus, et preliabatur prelium Israel cum leticia, et dilatavit gloriam populo suo, et induit se lorice, sicut Gigas, et succinxit se arma bellica sua in preliis, et protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venacione.” Potest etiam designari per Rasyam, de quo dicitur in libro (II) *Mach.* (14, 41–42): „Cum iam comprehenderetur, gladio se petiit eligens nobiliter mori potius, quam subditus esse peccatoribus, et contra natales suos indignis iniuriis affici.”

(1.1.2) Secunda proprietas nobilitatis est, quod sit bonis moribus adornatus secundum illud: „Nobilitas sola est, animum que moribus ornat.”<sup>3</sup> Ieronymus: „Nobilitatis tantum ad hoc memineris, ut cum nobilitate generis morum nobilitate contendas.”<sup>4</sup> Et idem alibi: „Sola apud Deum libertas est non servire peccatis, summa generositas est clarum esse virtutibus.”<sup>5</sup> Istud autem erat in beato Ladizlao, quia nobiles et sanctos mores habuit.

(1.1.3) Tercia condicio nobilitatis est, quod sit largus et liberalis, non auferens aliena, sed sua largiens. Unde dicit Aristoteles de leone, qui est rex animalium, quod est animal communicativum. Unde cum interrogatus esset quidam sapiens, quid esset nobilissimum in homine, respondit: „Dare”. Unde Apostolus in *Actibus Apost.* (20, 35): „Beatius est magis dare, quam accipere.” Talis autem fuit beatus Ladizlaus. Unde competit ei, quod dicitur in *Hest.* (2, 18) de rege Asuero: „Iussit convivium preparari permagnificum cunctis principibus et servis suis, ac dona largitus est iuxta magnificenciam principalem.”

(1.1.4) Quarta condicio nobilitatis est maxime in principe, quod sit benignus. Potencia namque tunc est nobilis et generosa, quando pietate condita est. Unde dicitur de leone: „Parcere prostratis scit nobilis ira leonis”,<sup>6</sup> et dicit quedam *Glosa* super libro *Sap.* loquens de

---

<sup>1</sup> Wien, ÖNB Cod. 162: colligatum theologicum Bononiense ca. a. 1270., sermo ipse ca. a. 1290 in Hungaria erat insertus. – (Madas–Horváth 2008, 102–106.)

<sup>2</sup> Corr. ex ut.

<sup>3</sup> Galterus de Castellione, *Alexandreis*, I, 104 = *Polythecon*, 2, 376.

<sup>4</sup> Pelagius I, *Epistola* 1. – PL 30, 36C.

<sup>5</sup> Pseudo-Hieronymus, *Epistola* 148. – PL 22, 1214.

<sup>6</sup> Theodericus Trudonensis, *De mirabilibus mundi*. – Ed. M. R. James, in *Essays and Studies*, ed. E. C. Quiggin, Cambridge, 1913, 295, 106.

Deo, „quid restat, nisi parcere, cui nemo potest obviare.”<sup>7</sup> Beatus autem Ladizlaus valde benignus erat, „unde a suis pius rex appellabatur.”<sup>8</sup> Unde legitur de ipso, quod „rigore iusticie lenitatem misericordie preferebat.”<sup>9</sup>

(1.2) Secundo – sicut dictum est – tangitur subditorum qualitas, ut ponatur continens pro contento. Terra namque dicuntur homines quadruplici ratione, videlicet:

ratione originis,  
ratione nominis,  
ratione proprietatis  
et ratione finis.

(1.2.1) Ratione originis, quia originem accipit a terra<sup>10</sup> secundum illud, *Eccli.* (17, 1–2): „Deus creavit de terra hominem, et secundum se vestivit illum virtute”, et in *Gen.* (2, 7) dicitur: „Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terre, et inspiravit in faciem eius spiraculum vite.” Ideo dicitur homini in *Eccli.* (10, 9): „Quid superbis, terra et cinis”, ac si dicat, cum sis tam vilis per naturam, ut quid elevaris per superbiam?

(1.2.2) Secundo dicitur homo terra ratione nominis, quia terra dicitur a terendo passive, quia teritur pedibus animalium, et similiter homo teritur in mundo isto, multiplici miseria presencium penalitatum. Unde dicitur in *Iob* (14, 1): „Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.” Bernardus: „Miseriis – inquit – corporis, miseriis cordis, miseriis dum dormit, miseriis dum vigilat, miseriis quaqua versum se vertit.”<sup>11</sup> Quod verbum tangens beatus Gregorius in libro *Moralium* dicit: „Ecce sancti viri vocibus pena hominis breviter est expressa, quia et angustatur ad vitam et dilatatur ad miseriam, si enim subtiliter consideretur, omne, quod hic agitur, pena est et miseria.”<sup>12</sup> Et quod gravius est, hec miseria non solum malis, sed etiam bonis communis est. Unde dicitur in *Iob* (10, 15): „Si impius fuero, ve mihi est, et si iustus, non levabo caput saturatus afflictione et miseria.”

(1.2.3) Tercio dicitur homo terra ratione proprietatis. Proprietas namque terre est, quod de se sterilis est secundum illud in *Gen.* (1, 2): „Terra autem erat inanis et vacua”, sed fecundari habet beneficio celestis roris et pluvie descendentis. Similiter homo de se sterilis est ab omni bono meritorio secundum illud *Ps.* (142, 6): „Anima mea sicut terra sine aqua tibi”, sed fecundari potest divine gracie beneficio secundum illud, *Isa.* (26, 17–18): „A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum salutis”, et in *Osee* (14, 6) dicitur: „Ero quasi ros, et Israel germinabit<sup>13</sup> quasi lilium”, et Augustinus dicit de *Sermone Domini in monte*, quod „sicut terra a celo et mulier a viro, sic ecclesia fecundatur a Christo.”

(1.2.4) Quarto dicitur homo terra ratione finis, quia in morte sua sub terram ponitur, et in terram resolvitur secundum illud, *Iob* (34, 15): „Deficiet omnis caro<sup>14</sup> simul, et homo in cinerem revertetur”, et in *Gen.* (3, 19) dicitur ad Adam: „In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.”

(1.3) Tercio et ultimo tangitur recti regiminis utilitas, cum dicitur „**beata**”. Regimen enim ordinatum beatam facit terram et temporaliter et spiritualiter. Ubi considerandum est, quod est beatitudo triplex, quia

quedam est temporalis,  
quedam est spiritualis,  
quedam vero celestis.

(1.3.1) De prima beatitudine dicitur in *Ps.* (143, 13): „Promptuaria eorum plena,

<sup>7</sup> Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, lib. 9, c. 73.

<sup>8</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 5–6.

<sup>9</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 518, 27–28.

<sup>10</sup> Corr. ex appetit terram.

<sup>11</sup> Bernardus, *In fer. IV. Hebdomadae Sacrae*. – PL 183, 266B.

<sup>12</sup> Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, lib. 11, c. 49. – PL 75, 983A–B.

<sup>13</sup> Corr. ex germinavit.

<sup>14</sup> Corr. ex terra.

eructancia ex hoc in illud. Oves eorum fetose” etc., et sequenter (143, 15): „Beatum dixerunt populum, cui hec sunt.” Hec autem beatitudo frequenter deceptoria est. Unde *Ysa.* (3, 12): „Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.”

(1.3.2) Alia est beatitudo spiritualis, que non est nisi virtutum possessio secundum illud *Eccli.* (14, 22): „Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in iusticia sua meditabitur”, et intelligit iusticiam generalem, que continet omnes virtutes, et in eodem libro alibi (31, 8) dicitur: „Beatus dives, qui inventus est sine macula”, sine macula, inquam, mortalis peccati. Aristoteles in *Ethicis*: „Bene vivere et bene operari (f. 110v) idem existimant ei, quod est esse felicem.”<sup>15</sup>

(1.3.3) Tercia est beatitudo celestis, que constitit in omnium desideratarum rerum adeptione. Augustinus: „Beatus est, qui habet, quidquid vult, et nihil male vult.”<sup>16</sup> De hac beatitudine dicitur in *Ps.* (64, 5): „Beatus, quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis”, et etiam in *Apoc.* (19, 9) dicitur: „Beati, qui ad cenam nupciarum agni vocati sunt”, et in *Luc.* (14, 15) dicitur: „Beatus, qui manducabit panem in regno celorum”, ad quod regnum celorum nos perducat etc.

---

<sup>15</sup> Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 1, c. 2.

<sup>16</sup> Augustinus, *De Trinitate*, lib. 13, c. 6.